



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni
Bredenbachij S. Th. D.||**

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

7. De virgine per lachrymas presbyteri à dæmone liberata; Item de
Adolescente à dæmone liberato per vnicam Episcopi orationem: atque
item de Florentio Hipponenstè xx. martyribus miraculosè vestito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

rat albicabat. Quo viso, qui aderant, concurrerant autem etiam alij, vocibus eius acciti: & se omnes in orationem pro illo statuerunt: quamuis cum sana mente stare gauderēt, rursus tamen propter oculum eius contristati, medicum quærendum esse dicebant. Ibi maritus sororis eius, qui cum illò detulerat: Potens est, inquit, Deus sanctorum orationibus, qui fugavit dæmonē, lumen ei reddere. Tunc sicut potuit oculum lapsum atque pendentem, loco suo reuocatum ligauit oratio: nec nisi post septem dies putauit esse soluendum. Quod cum fecisset, sanissimum inuenit. Sana sunt illic & alij: de quibus dicere longū est. *Augustinus ibidem de virgine per lachrymas presbyteri à dæmone liberata: item de adolescente à dæmone liberato per vnicam Episcopi orationem: atque item de Florentino Hipponensi à xx. martyribus miraculosè vestito.*

CAP. VII.

Hipponensem quandam virginem scio, cum se oleo perunxisset, cui pro illa orans presbyter instillauerat lachrymas suas, mox à dæmonio fuisse sanatam. Scio etiam Episcopum semel pro adolescente, quem non vidit orasse: illumque illic dæmone caruisse. Erat quidam senex Florentius Hipponensis noster, homo religiosus & pauper, qui sartoris se arte pascebat, casulam perdidit, & unde sibi emeret non habebat: ad viginti marty-

tes, quorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce ut vestiretur, oravit. Audierunt cum adolescentes, qui fortè aderant irrisores: cumque discedentem exagitantés, prosequébantur: quasi à martyribus quinquagenos folles, vnde vestimentum emeret, petuisset. At ille tacitus ambulans eiectum grandem piscem palpitantem vidit in litore, cumque illis fauētibus atque iuuantibus apprehendit, & cuidā coquo Carchofo nomine, benè Christiano, ad coquinam conditariam, indicans quid gestum sit, trecentis follibus vendidit, lanam cōparare inde disponens, ut vxor eius quomodo posset ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus cōscindens piscem, anulum aureum in ventriculo eius inuenit, moxque miseratione flexus, & religione perterritus, homini eura reddidit, dicens: Ecce quomodo viginti martyres te vestierunt.

Augustinus ibidem de muliere cæca, quæ postquam flores ad reliquias S. Stephani obtulit, eisdem oculis admouit, visum recepit. Item de Lucilio Episcopo, qui cum reliquijs eiusdem martyris portasset, à fistula miraculosè curatus est.

CAP. VIII.

AD aquas Tibilitanas Episcopo afferente proiecto reliquias martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus & occurfus. Ibi cæca mulier, ut ad Episcopum portantem pi-

gnora